

(Sufficiat in præsens recognoscere quæ lit. A ex pag. 39. ad 48. verb. Actor, Advocatus, Appellatio, Clericus, Decimæ, Delegatus, Familiaris, Festa, Forum, Laicus, Probatio, Procurator, Reus, Sententia & noviter exponuntur. Nemini celatur quod, licet multum explanationis hæc materia posset admittere, erat pernece, non parvum iri insumptum temporis spatium, ac plurima folia implenda; numquam ordine, quo Auctor se gerit, amplificari poterat, nam judiciorum distinctio, ab eodem proposita, corpora juris hispânci amplectitur, non vero specifica, & literali expositione, quæ advertitur: ideo suspenditur aliquid adnotare, quia ex omnibus, hoc opere insertis, hujus verbi intelligentia patet. Qui optaverit bene hæc animadvertere, postquam tit. 2. usque ad 22. p. 3. tit. 7. ad 16. lib. 2. For. Reg. tit. 2. ad 15. lib. 3. Ord. Reg. & tit. 2. ad 17. lib. 4. Recop. Castel. in quibus determinata in judiciorum efformatione usque ad sententiam definitivam præscribuntur, adeat, & confugiat ad D. Gonzalo Suarez de Paz in sua praxi seculari, atque ecclesiastica, ubi eadem, & majori elucidatione omnia pertinguntur.)

JUDICIUM TEMERARIUM, SUSPICIO ET DUBITATIO.

SUMMARIUM.

- 1 *Urbiorum, suspicio, ac dubitatio inter se differunt.*
- 2 *Dubitatio quid sit.*
- 3 *Suspicio quid sit.*
- 4 *Suspicio alia est levis, alia gravis, & alia violenta, & quæ sint.*
- 5 *Judicium quid sit.*
- 6 *Judicium aliud est prudens, & aliud imprudens, seu Temerarium, & quale sit utrumque.*
- 7 *Sic dubitatio, & suspicio alia est prudens, & alia imprudens, seu temeraria, & qualis sit utraque.*
- 8 *Assignantur indicia sufficientia, vel insufficientia ad judicandum, suspicandum, vel dubitandum de vitio, vel crimine alterius.*
- 9 *Judicare, suspicari, vel dubitare de alterius vitio, seu crimine prudenter, & ex sufficientibus indicis, per se loquendo nullum est peccatum.*
- 10 *Judicium temerarium absque sufficientibus indicis de vitio, vel crimine proximi in materia gravi deliberate conceptum, est peccatum ex genere suo mortale.*
- 11 *Ad hoc ut judicium temerarium sit peccatum mortale, tres requiruntur conditiones, quæ assignantur.*
- 12 *Raro omnes tres allate conditiones una simul interveniunt, adeoque raro judicium temerarium est mortale.*

causis castrensibus, aut quasi, præ aliis, etiam exclusis (5): quamvis emancipatus fuerit majorque viginti quinque annorum (6): sin minor, prævia petita venia, curator ad litem nominandus venit (7).

tardanza, que la justicia con conocimiento de causa, seyendo legitima, ó necesaria, ó provechosa á la muger, pueda dar licencia á su muger, la que el marido le avia de dar, la qual así dada, vala, como si el marido se la diese.

(5) *L. 2. tit. 2. p. 3.* Demanda queriendo facer un ome á otro en juicio, debe catar ante que la comience quien es aquel contra quien la face. Ca por aventura tal ome seria, contra quien non la podria facer sobre todas cosas. Ca si fuese padre, ó abuelo que lo toviese en su poderio non puede facer demanda contra él, por el debdo de la naturaleza: Pero razones hay, porque tambien contra el abuelo, como contra el padre natural en cuyo poderio estuviesen, è a un contra el que oviese profijado, podria el que estoviese en su poder, mover demanda en juicio, sobre cosas que fuesen suyas quitamente: *L. 11. tit. 17. p. 4. lib. 4.* Aducir non debe el hijo al padre, sino fuese por razon de ganancias, en manera, que es llamada peculiar castrense, vel quasi castrense:

- 13 *Suspicio temeraria de proximi vitio, seu crimine ex genere suo est peccatum veniale tantum.*
- 14 *Potest tamen suspicio temeraria evadere peccatum mortale per accidentem.*
- 15 *Dubitatio temeraria positiva de vitio, vel crimine alterius, per se loquendo est solum peccatum veniale.*
- 16 *Dubitatio autem temeraria negativa de vitio, seu crimine alterius nullo modo est peccatum, ad n. 18.*

Hæc tria scilicet, *Dubitatio, Suspicio & Judicium* inter se differunt. *Communis ac certa, & patet ex earum definitionibus quæ mox dantur. Dubitatio enim non est verus assensus, sed veluti suspensio animi in neutram partem sese determinantis, ac veluti in anticipi hærentia. Est in re communis. Suspicio est assensus debilis junctus cum formidine de opposito. Est in re communis. Hæc suspicio alia est levis, alia gravis, & alia violenta. Suspicio levis est, quæ assensum valde debilem, multum vero dubitationis, vel formidinis de opposito habet. Suspicio gravis, seu vehemens est, quæ plus assensus, & minus formidinis, vel dubitationis de opposito habet. Suspicio violenta (quæ in cap. Ex litteris 12. de præscript. appellatur violenta, & certa suspicio) est, quæ plurimum assensus, & valde parum, vel vix aliquid dubitationis, vel formidinis de opposito continet, adeoque pertingit ad integram persuasionem, seu credulitatem ex conjecturis, seu indicis haustam. Judicium est plenus, & firmus animi assensus, vel credulitas. Est in re communis.*

Judicium aliud est prudens, quando scilicet nititur sufficientibus indicis, seu conjecturis ad generandum firmum assensum de alterius probitate, vel improbitate. Aliud vero est imprudens, seu temerarium judicium, quando scilicet sufficientibus indicis, seu conjecturis non innititur. Et sic dubitatio & suspicio est prudens, si innititur, & temeraria si non innititur sufficientibus ad rationabiliter dubitandum, vel suspicandum indicis, seu conjecturis. *Communis.*

Indicia sufficientia ad judicandum, & suspicandum, vel dubitandum de vitio, vel crimine alterius, sunt v. g. videre hominem noctu accedere ad domum suspectam, vel infamen, aut inde exire. Videre hominem noctu admotis scalis tentare aperire fenestram alicujus domus, & hujusmodi. Indicia autem insufficientia sunt videre hominem honestum, & aliàs bonæ fame claræ die transire per talem domum, vel plateam, ubi fumina infamis habitat. Videre hominem claræ die coram vicinis, & transeuntibus palam admovere scalam, tentare, aperire fenestram alienius domus, & hujusmodi, quia licet possit quis positus, & visis primis indicis prudenter judicare, vel suspicari, quod unus fuerit adulter, & alter fur; non sic tamen positus, & visis solum secundis indicis, cum potius tunc debeat prudenter judi-

(6) *L. 4. tit. 7. p. 3.* Natural razon es, è derecho que los hijos hayan reverencia, è fagan honra á sus padres: E por ende tovieron por bien los sabios antiguos, è defendieron que el hijo, nin el nieto, non pueden facer emplazar para aducir en juicio al padre: Pero el hijo que fuere salido del poder de su padre, bien lo podria facer emplazar en juicio con otorgamiento del judgador.

(7) *L. 7. tit. 7. p. 3. lib. 1.* Eso mismo decimos que debe ser guardado, quando aquellos que diximos, que están en poder de otro quieren comenzar alguna demanda en juicio. Ca si aquel que tiene en su poderio algunos dellos non fuere en la tierra do quiere facer la demanda, el hijo, ó el nieto la puede por sí mismo facer, seyendo mayor de veinte è cinco años. Mas si fuese menor, el juez del lugar le debe dar alguno que sea su guardador en aquel pleyto, è que le ayude en la demanda, que non resciba engaño en ella. Ca de esta guisa puede facer su demanda, mas que non esté delante aquel en cuyo poder está.

dicare talem non animo adulterandi, sed alio justo, & honesto fine dictam domum, vel plateam transire, & alium non animo furandi, sed ob aperendam propriam domum, non aliter propter amissam clavem, sic de facili aperibilem, quam admoa scala fenestram ascendere. Generatim igitur illa dicuntur indicia sufficientia ad judicandum, suspicandum, vel dubitandum de vitio, vel crimine alicujus, quoadcumque illa ex se, vel communi suo hominum sunt ut plurimum conjuncta cum tali effectu malo, de quo quis judicat, suspicatur, vel dubitat. Illa autem dicuntur indicia insufficientia, quæ ex se, vel communi suo hominum sunt indifferentia; aut raro conjuncta cum tali effectu malo, de quo quis judicat, suspicatur, vel dubitat.

Judicare, suspicari, vel dubitare de alterius vitio, vel crimine prudenter & ex sufficientibus indicis, seu motibus, quæ scilicet habent aliquam moralem connexionem cum tali vitio, vel crimine, per se loquendo nullum est peccatum. *Communis cum Layman lib. 3. tract. 3. part. 2. cap. 2. num. 4. Lugo disp. 14. sect. 2. Azor. part. 5. lib. 3. cap. 1. q. 3. Sporer. tom. 2. tract. 5. in VIII. præc. Decal. cap. 4. num. 25. Reiffenstuel theol. moral. tract. 6. dist. 6. quest. 6. num. 59.* Et ratio est, quia proximus amittit sui famæ, & bonæ existimationis respectu illius hominis, cui ejus vitium, seu crimen sufficientibus indicis proponitur, unde, inde taliter dubitando, suspicando vel etiam judicando, neque peccat contra charitatem proximi, neque contra justitiam arg. cap. Quod suspecti 15. caus. 5. quest. 5. c. Suspicionis 39. de Officio Delegati cum similibus, ubi licite, ac juste ob legitima indicia, nunc iudices, nunc testes, alique possunt recusari.

Judicium temerarium absque sufficientibus indicis de vitio, vel crimine proximi in materia gravi deliberate conceptum, est peccatum ex genere suo mortale. *Communis cum S. Th. 2. 2. quest. 60. art. 3. & colligitur aperte ex verbis Christi Mat. 7. & Luc. 6. Nolite judicare, & non judicabimini. Nolite condemnare, & non condemnabimini, ubi de judicio temerario sermonem esse patet ex contextu. Quod autem videt festucam in oculo fratris tui, trabem autem, que in oculo tuo est (peccatum grave) non consideras? Et S. Jacobus Apostolus in sua Canonica cap. 4. conjungit judicium temerarium cum detractione; Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legem, & iudicat legem; Detrahente autem proximo in materia gravi est peccatum grave, adeoque &c. Tum quia hoc patet ratione. Nam quisque habet jus ad famam, seu bonam existimationem sui apud quemcumque hominem, donec per sufficientia signa innotescat, seu demonstretur malus, juxta illud: Quisque præsumendus est bonus, donec demonstretur malus, arg. cap. In cunctis 12. caus. 11. quest. 3. c. Mandata 6. & cap. Dudum 16. de Præsumption. ergo gravem ei injuriam infert, qui temere absque sufficientibus indicis firmam de ipsius improbitate concipit sententiam, eumque in corde suo condemnat, adeoque graviter peccat.*

Ut autem tale judicium sit peccatum mortale, tres requiruntur conditiones. Prima, quod judicium sit in materia gravi: materię gravitas, vel levitas attendi debet vel ex ipsa substantia materię, vel ex qualitate personæ. Unde deffectus gravitatis materię, veniale erit judicare de Paulo furto unius julii; & ratione qualitatis personæ, veniale erit judicare de juvene parum honesto, quod transeat per aliquem locum ad inhonestam. Secunda deliberatum, quia si Judicium non sit firmum, & quasi pro moraliter certo conceptum, erit sola suspicio; & si non sit deliberatum cum pleno consensu voluntatis erit vel sola prima apprehensio de improbitate proximi, vel solius actus judicii imperfecti, non sufficiens ad peccatum mortale. Tertia, quod Judicium sit ex levis, & insufficientibus indicis, seu conjecturis; quia si Judicium sit ex gravibus, & sufficientibus indicis, seu conjecturis, non erit temerarium, sed prudens, ut patet 14. ex dictis supra num. 5. Hinc, quia raro omnes tres allate conditiones una simul interveniunt, raro judicium temerarium est mortale, una enim ex ipsis deficiente, judicium temerarium non est mortale. *Communis.*

Suspicio temeraria de proximi vitio, seu crimine ex genere suo est peccatum veniale tantum, *Communis cum S. Th. 2. 2. quest. 60. art. 3. & indicat etiam S. August. tract. 99. in Joann. dicens: qui suspiciones omnino vitare non possumus, quia homines sumus, judicia tamen, id est definitivas, firmasque sententias continere debemus.* Et ratio est, quia per suspensionem temerariam, etsi aliquoties lædatur fama, seu bona existimatio proximi; non tamen simpliciter, & graviter, sed secundum quid, & leviter tantum, cum suspicio sit solum levis assensus de vitio, seu crimine proximi cum actuali dubitatione, seu formidine de opposito. Potest tamen suspicio temeraria evadere peccatum mortale per accidentem, ut si oriatur ex maligno affectu, aut conjuncta sit cum gravi odio, vel contemptu proximi. Si quis ex tali temeraria suspicione in effectum externum malignum, aut damnum proximi procedat, ut si ex sola suspicione Judex Reum condemnaret, Superior subditum puniret, aut ab officio amoveret; Si ratione talis suspensionis, quis alicui suffragium in electione negaret, aut eum ad consecutionem alicujus notabilis boni impediret. *Communis.*

Dubitatio temeraria positiva de vitio, vel crimine alterius per se loquendo est solum peccatum veniale. *Communis cum Lessio lib. 2. cap. 29. dub. 8. Layman loc. cit. num. 6. Sporer loc. cit. num. 34.* Et ratio est eadem, quæ de suspicione, & à fortiori, quia minus lædit famam proximi dubitans solum num sit malus, quam etiam suspicans esse malum. Dubitatio enim temeraria positiva in hoc solum consistit, quod quis, habitis sufficientibus indicis, ex quibus posset, ac deberet judicare aliquem esse bonum, ille omisso hoc judicio ex aliis leviusculis indicis, seu conjecturis, vel motibus positive dubitet, seu judicet esse dubium, & incertum an sit bonus? adeoque, si per se loquendo suspicio temeraria est solum peccatum veniale, quia famam, seu bonam existimationem proximi parum lædit; à fortiori per se loquendo erit solum peccatum veniale dubitatio temeraria positiva, quia minus famam proximi lædit. Dubitatio autem temeraria negativa de vitio, seu crimine proximi nullo modo est peccatum. *Communis cum citatis Doctõribus.* Et ratio est, quia per talem dubitationem nulla prorsus injuria inferitur proximo: Dubitatio enim temeraria negativa in hoc solum consistit, quod quis oblata sibi cogitatione de bonitate, vel malitia proximi, omne judicium, omnemque suspensionem, & dubitationem positivam ex defectu motivi rationis circa ipsius bonitatem vel malitiam suspendat, quod cum nullimode sit ei injuriosum, nullum pariter erit peccatum. Judicium temerarium. Ne timorem omnem peccandi mortaliter fratrem judicando abjicias, meditare, Lector, præceptum charitatis erga proximum, Christique monitum Joan. 7. 24. Nolite judicare secundum faciem, sed justum Judicium judicate. Videtis Antoinne de Jure part. III. cap. 5. ♣

JURAMENTUM.

ARTICULUS I.

Juramentum quoad ea, quæ concernunt ejus esse, divinationem, & modum licitum, seu illicitum jurandi.

JURAMENTUM est invocatio tacita, vel expressa divini Numinis, tanquam primæ, & infallibilis veritatis in testem alicujus rei; Est in re communis. Juramentum dividitur in Assertorium, & promissorium; Ita Scotus in 3. dist. 39. quest. unica, & communis aliorum. Juramentum assertorium est illud, quod simpliciter sine aliqua promissione aliquid affirmatur, vel negatur; Est in re communis. Juramentum promissorium est illud, quod ad confirmationem promissionis, seu contractus, aut pacti alicujus corroboracionem adjicitur. Est etiam in re communis.

Juramentum, tam assertorium, quam promissorium

dividitur in Juramentum simplex, & in juramentum solemne. *Juramentum simplex* est, quod sit per simplicem Divini Numinis invocationem, vel contestationem in confirmationem rei assertæ, vel promissæ. *Juramentum solemne* est, quod per certam verborum formulam, vel corporalem alicujus rei v. g. Sancti Evangelii attachum, perficitur coram legitimo Superiore, ut majorem auctoritatem, & æstimationem habeat, quale potissimum solet fieri in Judiciis, in professione Fidei, in homagiis, ac Juramento fidelitatis, & hujusmodi; *Sic in re communis Doctorum.*

6 Rursus Juramentum dividitur in Juramentum contestativum, execratorium, & comminatorium. *Juramentum contestativum* est illud, quo Deus simpliciter ut testis invocatur. *Juramentum execratorium*, seu *imprecatorium* est illud, quo jurans sibi ipsi, vel aliis sibi caris, & ad ipsum pertinentibus mali quidpiam à Deo falsitatis vindicæ imprecatur, nisi verum sit, quod assertit, vel promittit. *Juramentum comminatorium* est illud, quo jurans comminando promittit alicui malum pœnæ, ut v. g. *Per Deum ego te verberabo. Per Deum ego te occidam, & hujusmodi.*

7 Juramentum potest fieri quatuor modis, scilicet *mente, nutu, factu, & verbo.* *Mente* fit juramentum, quando intra animum aliquid affirmatur, vel negatur, Deusque in confirmationem invocatur velut testis. *Nutu* fit juramentum, quando alicui dicitur, jura per Deum, & ipse oculis, vel capite annuit. *Factu* fit juramentum, quando alicuius oblatum sibi ad jurandum Evangelium tangit. *Verbo* fit juramentum, quando aliquis dicit, vel scribit v. g. *Juro*, in his tamen circumstantiis, in quibus sic intelligitur Deus vocari in testem.

8 Ad Juramentum, ut sit licitum, requiruntur tres conditiones, tamquam comites ipsius, nempe *Veritas, Judicium, & Justitia*; habetur expresse ex *Jeremia 4. Jurabis: Vivit Dominus in veritate, Judicio, & Justitia.* *Veritas* in hoc consistit, quod res sit vera, aut ex gravi ratione, vel bona fide putetur vera, & sic veracissimi Numinis testimonium non adducatur in attestacionem falsi, seu mendacii, alioquin esset perjurium, & gravissimum peccatum. *Judicium*, seu *Judicii discretio* in hoc consistit, quod Juramentum non fiat sine necessitate, gravi causa, aut utilitate, sed cum prudenti intellectus consideratione, ac pia, & reverenti voluntatis affectione. *Justitia* in hoc consistit, quod res sit licita, & honesta, & sic æquissimi Numinis testimonium non adducatur in confirmationem rei iniquæ, & peccato obnoxie.

9 Juramentum factum cum omnibus dictis conditionibus nullum est peccatum; immo est potius actus virtutis Religionis; Sic S. Thomas 2. 2. q. 89. art. 4. asserens tale Juramentum esse actum Religionis, sive *Latriæ*; est *Communis Theologorum, & Canonistarum, & habetur clare ex Deuteronomio 6. ibi: Dominum tuum timebis, ac per nomen ejus jurabis, & ex Psalm. 62. ibi: Laudabuntur omnes, qui jurant in eo, cum similibus.* Juramentum tamen, cui deest prima conditio, scilicet *Veritas*, est semper peccatum mortale. Nec hic excusatur levitas materiæ, quia sive levis, sive seria, sive jocosa, æqualiter tamen repugnat Deo testificari falsum, & tale

10 Juramentum dicitur perjurium cum gravi in Deum irreverentia, quippe cum adducatur in testem falsitatis, quasi vel ipse veritatem nesciat, vel velit, aut possit decipere testando falsum: *Communis.* Juramentum, cui deest secunda conditio, scilicet *Judicium*, ut plurimum est peccatum veniale tantum; potest tamen fieri mortale ratione prava, & scandalose consuetudinis jurandi sine necessitate, & utilitate, & ratione negligentia ad tollendam talem pravam consuetudinem. Unde consuetudo incaute jurandi graviter perstringitur in Sacra Scriptura, ut *Ecclesiastici c. 23. ibi: Jurationi non assuecat os tuum, multi enim casus in illa, & iterum ibidem: Vir multum jurans impletur iniquitate, cum similibus: Communis.* Juramentum cui deest tertia conditio, scilicet *Justitia*, potest esse grave, vel leve juxta gravitatem vel levitatem materiæ. Et sic, qui jurat facere rem solum venialiter malam, aut vanam, vel inutilem, seu

frivolam, peccat solum venialiter, quia ibi levis tantum irreverentia in solum Deum censetur. Qui vero jurat se facturum rem mortaliter malam, ut se aliquem occisurum; peccat mortaliter, quia est gravis irreverentia, divina auctoritate se ad peccatum mortale quasi obligare, in quo due sunt specialiter distinctæ, una contra proximi caritatem, qua vult alteri malum; altera contra Dei reverentiam, qua ad illud abutitur auctoritate Dei odientis omne malum; *Communis.* Falsum videtur Romanis Censoribus peccare tantum venialiter hominem, qui rem malam se facturum putet, quæ tamen venialis opinio, quam tuto sequi non valeamus: horum judicio facile assentior, etsi probe scio, plures esse Auctores, qui cum Ferrario sentiant. Moveor vero ad id statuendum, primum quia longe pejus est jurare, sive Deum in testem vocare promissionis de re mala, quam facturi spontemur, quam jurare de re honesta, vel indifferenti sine ulla necessitate, quod tamen sine veniali culpa fieri non potest. Deinde qui se peccatum veniale commissurum jurat, Deum invocac ad suum propositum roborandum, confirmandumque, promissio enim idcirco divini testimonii auctoritate munitur, ut firmior, & immobilior evadat. Quid vero injuriosus Deo esse potest, quam infinita ipsius nominis majestate abuti, quam ipsius auctoritatem in præsidium iniquitatis adhibere? Rursus qui sine animo jurandi jurat, graviter peccat, quia Juramento abutitur. Sed hoc pejus abusus est, quo quis juramento utitur ad confirmandum iniquitatem. Præterea si jures sine animo committendi veniale illud peccatum; graviter peccat ex communi sententia, quia perjurus es, scilicet, quia Deum vocas in testem falsi; cur vero si jures cum vero animo peccatum veniale perpetrandi, venialiter dumtaxat delinques? Abuteris enim juramento, quod res sacrosancta est, cuius finis est confirmatio veritatis; profanas sanctum Dei nomen, dum illud assumis, atque convertis in vinculum iniquitatis; Deum infinite Sanctum in peccati venialis testem invocando adducis tamquam fidejussorem, & approbatorem illius; testes enim adhibetur, ut id approbent, quod suo testimonio confirmant.

An non hæc maximam Deo irrogatam injuriam reddent? Et quis dicat, levem tantum esse in Deum irreverentiam? Scio Adversarios reponere, Juramentum non intendere Deum ad approbandam iniquitatem inducere, atque id lubenter; nam si id expresse intenderet, blasphemus in Deum foret. Sed factu id illum præstare dicimus, dum Dei testimonio utitur. Nec magis urget aliorum responsio, qui ajunt, Juramentum non teneri nisi suo veniali, evitare peccatum veniale. Id sane verum est; at sub gravi culpa tenemur ab invocatione divini testimonii in confirmationem iniquitatis, etiam minime, quia malitia quæcumque, etsi minima, sumopere Deo repugnat; ac summa Deo injuria fit, dum ad confirmandum propositum perpetranda iniquitatis invocatur. Hæc adnotanda duximus, tum ut doctissimi Sacerdotibus morem gereremus, tum etiam ut Lectores sciunt, quanta esse debet Confessariorum diligentia in impediendis hujusmodi Juramentis.

Jurare cum restrictione non pure mentali, sed aliquo sufficienti modo externa, est licitum, & excusatur a mendacio, & perjurio in omnibus casibus, in quibus ex juxta causa habet quis jus, seu debitum ut occultandum secretum; *La Croix lib. 3. part. 1. num. 286. & seq. Viva ad propositionem 27. damnatam ab Innocentio XI. n. 3. Felix Potestas tom. 1. part. 2. num. 1731. Reiffenstuel, Layman, Lessius, Cardenas, & Sporer. tom. 1. tract. 5. in 2. præceptum Decalogi cap. 1. num. 104. ubi testatur de communi. Et ratio est, quia talis locutio externa, quamvis non facile ab audiente percipiatur, tamen quantum est ex se habet significationem conformem conceptui interno mentis loquentis, ut enim conjuncta signis, vel circumstantiis humano modo cognoscibilibus est significativa integre propositionis mentalis, etiam illius patris, per quam verificatur locutio; locutione autem vera licite juratur, si adsit justa, & rationalis causa jurandi. Tum quia talis restrictio non pure mentalis non est facta*

ani-

animo decipiendi, sed occultandi secretum, ad quod occultandum, seu celandum habet jus, seu debitum ut supponitur, adeoque non includit mendacium, nec perjurium, cum fit ex gravi, & rationabili causa.

Hic ad clariorem intelligentiam advertendum venit, quod duplex est restrictio mentalis. Una *pure mentalis*, & alia *non pure mentalis*, sed aliquo sufficienti modo externa. *Restrictio pure mentalis* est, quando tota propositio, spectatis omnibus circumstantiis, prout exterius profertur, est absolute falsa, in mente autem profertis aliquid subintelligitur, per quod, si ab audiente perciperetur, fieret vera; atamen illud subintellec-tum nullo prorsus signo externo manifestatur, neque in illius cognitionem humano modo veniri potest, v. g. si Petrus interroget Paulum, an hodie viderit Franciscum? & Paulus respondeat: *Non vidi*, & in mente subintelligat, *Non vidi in foro, cum tamen viderit domi sue.* Restrictio illa est pure mentalis, quia ex nullis circumstantiis prudenter colligi poterat Petrum interrogare Paulum de visione Francisci in foro, aut Paulum de illa respondere. *Restrictio non pure mentalis*, seu restrictio realis, & externa est, quando propositio, spectatis quidem præcise verbis, unum de se absolutum significatum habet; sed ex circumstantiis, & adjunctis habet aliud ad illam spectans, & in mente profertis retentum significare, ita tamen, ut per illas circumstantias, vel per aliud signum exterius consignificetur illud quod in mente profertis retinetur: Dantur enim quædam circumstantiæ, & signa externa, quæ ex se habent verba limitare, & consignificare cum illis: locutio namque non fit solis verbis, sed etiam completur ex circumstantiis personæ, loci, temporis, & negotii, de quo agitur, ac ex signis externis. Ut proinde locutio possit secundum se esse falsa, sed quatenus simul cum circumstantiis consignificat, possit esse vera; v. g. quamvis Judex privata scientia sciat aliquem esse reum; nihilominus, si pro tribunali sedens dicat ipsum esse innocentem, ejus dictio, & assertio potest esse vera, quia circumstantiæ illæ significant talem haberi à Judice innocentem juridice, seu secundum allegata, & probata: Sic Christus Dominus dicens *Joan. 7. Ego autem non ascendam ad diem festum hunc*, verissimum dixit, quamvis ascenderit, quia ex circumstantiis verba illa denotabant se non ascensurum publice ad ostendendam miraculosa suam Divinitatem, ut rogabatur. Item hæc propositio *Peto linguam carnis animalis*, si proferatur in macello, significat linguam carneam animalis; si vero proferatur in pharmaceo signifi-cat herbas, quæ dicitur *lingua vobis*. Item hæc propositio: *Petrus non est in trichinio* potest esse vera, quamvis sit in trichinio, sed ibi non comedat, si sumatur *ly non est pro non comedit*, & sic de similibus. Unde circumstantiæ loci, temporis, personæ, & signa externa possunt consignificare aliquid in mente retentum, licet verba præcise id non manifestent, adeoque restrictio non pure mentalis, sed externa, & amphibologia, seu æquivocatio per verba, aut signa externa per se æquivoca est licita, etiam cum juramento in omnibus casibus, in quibus ex juxta causa habet quis jus, vel debitum ad occultandum secretum. *Vid. verb. Mendacium à num. 13. ad 21.*

Hinc Confessarius, quamvis interrogetur à Tyranno, an aliquid sciat, ut Confessarius, ex scientia Sacramentali de peccato penitentis, poterit etiam cum Juramento asserere se nihil scire etiam spectata tali scientia Sacramentali, retinendo in mente ad dicendum, quia, cum Confessarius habet jus, immo strictissimum debitum ad id non revelandum, ex tali circumstantia apparet verba ista proferri à Confessario, quatenus homo est, & scientia extra-Sacramentali, relate ad quam vere nihil scit, quod spectat ad scientiam Sacramentalem. Et in hoc sensu communissime Sacri Interpretes docent locutionem esse Christum Dominum, quando *Marci 13. loquens de Judici adven-tu dixit: De die illo, vel hora nemo scit, Neque Angeli in celo, neque Filius hominis.* Licet enim Christus Dominus, non solum qua Deus, sed etiam qua homo diem universalis Judicii vere sciret, quia tamen illum nesciebat qua Legatus Patris, &

Doctorem hominum, cujus muneri noticia illa demandata non fuerat, & diem illum ignorabat ad publicam notitiam, & scientiam communicabilem, quam discipulorum interrogatio requirebat, & ex circumstantiis luculenter apparebat verba illa de tali noticia, & scientia communicabili fore accipienda, idcirco vere, & absolute dixisse diem illum nescire. Circa restrictiones mentales, videantur quæ annotata sunt *tom. 1. verb. Accusatus*; ubi plura refutata sunt, quæ in hoc articulo à Ferrario repetuntur; Sed hic uberius cognitionis causa, primum nonnullas regulas, deinde nova profertis ad-versus latas opiniones argumenta.

Primo, extra controversiam est, restrictiones mentales, quæ & absolute, & circumstantiis inspectis, intra mentem sistunt, nulloque modo ab audiente percipi queunt, fuisse ab Ecclesia proscriptas, tamquam mendacia. Et licet quidam scribant esse prohibitum usum earundem dumtaxat à *tutto passo*, id est continuum; id tamen seu falsum omnino, & proscriptum reprobamus.

Secundo, certum est, aliquam locutionem esse falsam secundum se, veramque fieri ex circumstantiis interrogationis. Puta, si Confessarius roget Titium confitentem peccata sua, an fornicationem, furtum, aliaque peccata commisisset, & Titius neget, vera responsio est, licet aliquando illa commiserit, & confessus eadem fuerit. Quia ex circumstantia confessionis externæ, & realis, in qua sola peccata commissa, & nondam confessi panduntur, juxta communem intelligentiam interrogationis est de his solis peccatis. Quare Titius respondens se eadem peccata non commisisset post ultimam confessionem, ad mentem respondet Confessarii. Similiter, si Petrus interrogatus à servo, sollicite per vicos & plateas dominum suum requirente, an illum viderit, respondeat, se non vidisse; quamvis heri, alioque tempore milies illum viderit, vera est responsio: quia ex circumstantia externa sollicitæ, & anxie inquisitionis patet ejus interrogationem esse de visione sui domini hic & nunc, ita ut ex responsione deprehendere queat, ubi nunc reperitur. Et si Petrus responderet famulo, se heri vidisse dominum illum, famulus sibi illud existimaret. Hæc autem vera sunt juxta communem omnium intelligentiam, ac proinde licita. Porro in hoc errant Recentiores plurimi, quod ex his peculiaribus casibus inferunt regulam universalem, ut jam explicabimus.

Amphibologia locutio ea est, quæ varios patitur sensus, quamque qui loquitur alter intelligat, ac intelligendum prospiciat ab illo, qui audit; ea tamen intelligi ab eodem potest, vel certe valet alter advertere esse ambiguum orationem; adeoque alii interrogacionibus urgere potest respondentem ad probandam veritatem, v. g. quando Abraham dixit, Saram Sororem esse suam; si Pharaon advertisset ad illum verbum Soror, intellexisset esse verbum æquivocum, aliasque esse sorores ex patre, alias ex fratre, vel nepote, & hæc via incedere potuisset ad cogendum Abrahamum, ut veritatem manifestaret; si manifestabilis fuisset absque peccato.

Tandem certum est, nunquam licitum esse uti amphibologia sine justa causa (id omnes fatentur) quando loquens utitur oratione amphibologica in sensu, quem non percipiendum confidit ab audiente. Si enim utatur amphibologia in eo sensu quem credit, & prospicit intelligendum ab audiente; tunc non est proprie amphibologia, quia qui ad mentem, & justam intentionem interrogantis loquitur, & respondet, candidè, & sincere loquitur, nullaque esse de peccato suspicio potest. His præmissis, quæ nobis videatur vera sententia proponitur.

Licitum est locutione amphibologica, seu æquivocatione, quæ ut vi verborum, aut ratione circumstantiarum, juxta communem intelligentiam, plures excipit sensus intelligibiles ab audiente, veritatem occultare; sed non semper hæc amphibologia occurrit, neque semper sufficit ad occultandam veritatem, potissimum dum interrogans urget, ut sine æquivocatione loquamur: propterea aia via occultanda sunt secreta, quæ absque peccato revelari nequeunt.

Hæc nostra sententia duplici constat membro. Primum nu-

nihil peculiare continet, nec video ab aliquo negari posse. Constat enim & exemplis allatis, & pluribus ex ipsa Scriptura adducendis, licitam esse illam æquivocationem, & sensus plures patitur ab audiente aut vi verborum, aut circumstantiarum ratione intelligibiles: quia reipsa talis locutio habet hos varios sensus, juxta communem hominum intelligentiam; quamquam non semper quilibet audiens advertat ad sensum quem loquens intendit quod contingit ex ejusdem audientis oscitantia, aut hebetudine. Quando autem vel crimen, vel secretum, vel quodpiam aliud factum, occultandum ex justitia, aut charitate, excipiat locutionem amphibologicam, seu verba æquivoca, non potest à nobis definiri, neque certa regula præscribi: Sed quisque in praxi consulere suam conscientiam debet, ad veritatis regulas respiciendo; Ita docet Sotus lib. de regen. sec. memor. 111. quest. 111. concl. 7. Interim tamen, si percunctatur quis, quibus amphibologiis poterit se miser tueri, non possumus illas sigillatim colligere, sed pro sua quisque peritia, & praevidentia illas poterit excogitare.

Secundum sententiæ nostræ membrum ad punctum præcipuum, ac quasi dixerim, unicum præsentis questionis spectat, atque declarat. Illud adversatur communem doctrinam recentiorum, qui, ut diximus supra, quia copulare volunt semper & custodiam sigilli, & conservationem vitæ, volunt quoque semper, & pro quacumque veritatis alicujus momenti occultatione, adesse amphibologicas locutiones, quibus veritas occultetur. Neque enim ipsi ex natura ipsius peculiaris facti, quod reipsa æquivocationem suscipit, inferunt licite adhiberi posse amphibologiam exteriorem; sed absolute statuunt, quodcumque factum, seu crimen, & quacumque veritatem non manifestabilem admittere æquivocationes externas, hoc ipso quod veritas non debeat manifestari, & communicari. Nos contra dicimus, aliqua facta sua natura admittere æquivocationem, seu verba duplicis potestatis, aut talibus circumstantiis interrogationes aliquando fieri, quæ plures sensus habere possint; & tunc affirmamus licitum esse, justa urgente causa, occultare veritatem beneficio locutionis amphibologicæ, ab audiente, si advertat, intelligibilis. Exempla rem manifestabant. Abraham amphibologia occultare potuit licite matrimonium, quia revera Sara soror illius non ex matre, sed ex patre erat: quæ consanguinitas apud Hæbræos sufficiebat ad sororis veram appellationem. Quod si tali consanguinitatis vinculo juncti non fuissent, minime tali amphibologia celare matrimonium potuissent. Christus dixit: *Ego autem non ascendam ad diem festum istum*: quia revera erant plures dies festi, & primus celebrior erat atque solemnior, ad quem invitabatur Christus: qui sincere respondit, ad illam sollemnem festivitatem se non ascendere, quia nondum tempus suum advenerat; tacuit vero suum ascensum occultum post alios dies faciendum, quando tempus suum impletum jam esset.

Dum Sacerdos, qui simul est Confessor, interrogatur, an sciat homicidium, aut aliud delictum perpetratum; sincere & vere respondet, se illud ignorare, quamvis illud in Confessione audivit: quia juxta communem intelligentiam omnium Christianorum non interrogatur, ut Confessor, sed ut ceteri homines. Hæc omnia paucioribus verbis explicat P. Dominicus Soto, qui, ut mea præfert opinio, præ omnibus Theologis controversiam hanc feliciter versavit, & ad Ecclesiæ mentem proximius sua doctrina hac in materia accessit. Inquit ergo de teg. sec. memb. 111. quest. 111. concl. 7. Si verba non occurrunt, quibus per æquivocationem, usu hominum receptam, citra mendacium celari possit crimen, mori debet, antequam mentiar... Dicitur Sanctorum eo tendant, ut prohibeant responsa per verba, quæ nullum possunt facere verum sensum, secundum significationem usu receptam, quippe qua non possunt à mendacio illa ratione excusari.

Clarius explicatur discrimen, quod nostram inter, & recentiorum opinionem intercedit. Recentiores, ut vidimus, non ex facti natura, neque ex circumstantiis revera extrinsecus advenientibus, quæ veritatem

ipsam, ut sic dicam, afficiant, sed ex causis, seu damno quod manifestationem veritatis consequitur, inferunt, restrictiones non esse pure mentales. Exempla rem manifestabant. Uxor adultera vitam amittit, si adulterium marito, uxore districto illam imperanti, fateatur. Dicunt ipsi, mulierem adulteram uti posse amphibologia, aut duplici scientia communicabili, & incommunicabili, aut verbis nihil significantibus, ut mortem evadat. Nostri sententia cum D. August. oppositum asserit. Causæ enim quæ obligant ad celandam veritatem, omnino disparatæ sunt ab ipsa locutione; adeoque perperam adducuntur tamquam circumstantiæ externæ, vi quarum sensus in mente reteutus fiat exterior. Si hoc namque verum esset, nullæ forent restrictiones pure mentales quoniam Auctores illarum non nisi ob graves causas illas propugnabant; & tamen nemo illorum dixit, quod cause istæ cogitarent illas restrictiones exteriores. Hoc inventum excogitant Scriptores (quod magnopere advertendum est) post propositiones damnatas. Ut enim declinant Pontificias censuras, restrictiones mere mentales, non mere mentales sed exteriores appellare conperunt. Et si ab illis quaras, cur appellerent exteriores, respondent, quia hic & nunc manifestatio veritatis inferret grave damnum, violat vel justitiam, vel charitatem. Facile enim illis est hanc, ceteroquin falsam, doctrinam fucio linire; Quia, ut explicando nostram sententiam adnotavimus, revera dantur aliquæ restrictiones externæ, non ob causas occultandi veritatem; sed quæ ipsam afficiunt locutionem, & factum quod sub locutione cadit; ut patet in Confessario, cujus personalis dignitas circumstantia vere externa est, quæve determinat locutionem; & in responsione Abrahami, & Christi Domini non ascendenti ad sollemnitatem primi diei. Et hæc est fere unica occasio errandi recentioribus, qui ex uno casu peculiari, puta Confessarii, cum similibus non datur, inserunt regulam universalem, qua statuunt, omnes veritates summi momenti, omniaque secreta occultanda esse amphibologico sermone, nulla facta consideratione, utrum factum, seu crimen occultandum excipiat nec ne sermonem amphibologicum, suppedietque vocabula æquivoca; ut matrimonium occultandum suppedietit Abrahamo verbum æquivocum *sororis*. Sed unice considerat consecraria mala, quæ manifestatio veritatis patit; & ex hoc principio inferunt, restrictiones non esse pure mentales. Quod eodem recidit, ac si dicerent, in gravi, vel extrema necessitate mendacia non esse mendacia, restrictiones pure mentales, non esse pure mentales. Quemadmodum siquidem antiqui defensores mendaciorum excusabant locutionem Raab negantis reperiri hospites in domo sua, & filii negantis patrem extare domi, & adulteræ negantis adulterium se commisisse, ob mortem vitandam; sic isti eandem omnino locutionem absque exteriori addito excusant cum hoc tamen discrimine, quod antiqui in mendaciorum defensione sinceri erant, mendacia appellantes mendacia, sed venia digna, quia ob necessitatem prolata: isti vero volunt, necessitatem efficere, ut illa locutio non sit mendacium, sed amphibologia externa, eo quod interdum revera dantur locutiones amphibologicæ, ut exemplis productis constat.

Placet quæ dicta sunt confirmare auctoritate celeberrimi Caramuelis, qui Theol. fund. Tom. II. n. 809. pag. 180. Est mihi, inquit, innata aversio contra restrictiones mentales. Si enim continentur intra terminos pietatis, & sinceritatis, necessaria non sunt. Nam omnia, quæ ipse prestatæ parant, præstant consignificantes circumstantiis. Quod si tales dicantur, ut etiam ibi admittenda sint, ubi desunt circumstantiæ, (ignoscant mihi earundem auctores, & propugnatores) tollunt humanam societatem, & securitatem, & tamquam pestifera damnanda sunt: Quoniam semel admittæ aperient omni mendacii, omni perjurio viam. Et tota differentia in eo erit, ut quod heri vocabatur mendacium, naturam & essentiam non mutet, sed nomen, ita ut videtur jubatur Restrictio mentalis nominari, quod est vitæ conditio sacrosancta, & scilicet specie virtutis colorare. Adeo hæc perspicua sunt, adeo luculenta, ut nulla cavillatione implicari valeant.

Ca-

ramuel ipse, qui laxanda evangelica, & naturali lege palam ceteris præripuit, haud potuit tam manifeste veritati oculos claudere. Quæ olim mendacia post restrictiones pure mentales; & quæ olim restrictiones pure mentales, jam restrictiones externe appellantur.

Ex his, quæ diximus, varia pro praxi eliciuntur regulæ. Prima est: Si factum quod sub sermone cadit, non admittit suapte natura verba æquivoca, quæ juxta communem intelligentiam varios excipiant sensus, absolute ab audiente intelligibiles, nullo modo licitum est respondenti ex necessitate occultandæ veritatis uti his locutionibus. Nescio illud factum, id est ut manifestabile. Non facti, subintelligendo, ut tibi illud revolem: vel Nescio illud, subintelligendo scientia commutabili: Non habeo pecunias, subintelligendo ad tibi dandas. Hæc omnes locutiones, quas universaliter adhibendas statuunt Probabilistæ ad occultandam veritatem, quæ revelata grave incommodum parceret, sunt absolute restrictiones pure mentales ab Ecclesia damnatæ, seu sunt pura putaque mendacia.

Secunda Regula. Aliquando factum, supra quod cadit interrogatio, admittit locutionem amphibologicam vel quia persona respondens gerit munus duplicis personæ, ut Confessarius, Secretarius Principis &c. De quibus infra, quæ sunt circumstantiæ revera externæ, vel quia conditio peculiaris illius facti subministrat responsioni verbum æquivocum; & tunc licita est, gravi causa impellente, amphibologia.

Tertia Regula. Locutiones amphibologicæ, licet interdum satis sint ad occultandam aliquam veritatem interrogatoribus obvisas, aut his quorum parum refert eam scire, sepe tamen inepte sunt ad occultandam veritatem magni momenti interrogatoribus vafis, & versipellis, qui æquivocationem deprehendere valent, atque respondentem ad incitas redigere, ut præcise respondeat. Quid ergo tum agendum, infra declarabo.

Quarta Regula. Quando sagax interrogator æquivocam, seu amphibologicam responsionem reprehendit, urgetque respondentem, ut præcise, & candidè respondeat, omittat amphibologias, & restrictiones omnes, non potest respondens uti amphibologia reflexa usque in infinitum, ut docent recentiores plurimi: sed debet repellere injustum interrogatorem modo infra explicando.

Quinta Regula. Et præcedenti regula clarissime constat, recentiores præfatos restrictiones pure mentales, & consequenter mendacia docere. Tantum siquidem abest, ut eorum locutio amphibologica externa sit; quin ita interna est, ut audiens nullo excogitabili modo possit vi talis locutionis deprehendere sensum loquentis. Hic enim ita restringit, & claudit intra mentem sensum suum, ut juret se nulla uti æquivocatione, quemadmodum docent communiter recentiores Probabilistæ cum Sanch. lib. 3. c. 4. num. 45.

Sexta Regula. Quando quis utitur amphibologia in sensu quem confidit non perceptum iri ab audiente, quem tamen perciperet, si adverteret; non intendit illius deceptionem, sed occultationem veritatis, quam custodire tenetur, deceptionem vero audientis solum permittit.

Septima Regula. Ut omnes causas necessarias ad licitum usum amphibologicæ externæ perspectas habeas, eas ad quatuor capita redactas ob oculos pono. Prima, quod justa, & gravissima causa urgeat. Secunda, quod respondens non teneatur ex justitia, aut religione, aut obedientia veritatem inde patefacere; sed jus habeat illam celandi. Tertia, quod veritatis occultatio ita prosit loquenti, ut nulli noccat. Quarta, quod verba visua, aut vi circumstantiarum referant sensum loquentis intelligibilem ab audiente, si advertere velit.

Oitava Regula. Ex hucusque dictis patet, non esse questionem de nomine, dum rationes impugnantur, quibus recentiores defendunt amphibologicas locutiones. Nam, si admittatur, verba privati ex significatione Republicæ consensu, aut licitum esse usum notitiæ communicabilis, incommunicabilis, qualibet gravi urgente causa, respectu omnium personarum, & factorum; jam statuitur regula generalis, ob gravæ malum vitandum semper licitum esse veritatem celare media amphibologia,

FERRAS. BIBLIOTHEC. TOM. IV.

sive res, quæ narratur, aut occultatur, excipiat, sive non excipiat æquivocationem. Quod eodem recidit, ac si dicitur, mendacia licita esse, causa gravi urgente. Hoc vero assero ab Ecclesia damnatum fuisse. Igitur ibi tantum amphibologias admittimus, ubi revera, aut circumstantia vere externæ personæ, aut factum ipsum verba æquivoca subministrat, ipsamque locutionem ingrediatur; & amphibologia insuper talis sit, ut valeat ab acuto auditore deprehendi. Hoc autem non ita frequenter occurrit. Id solum potius de nomine est, num restrictiones mentis, quam plures etiam post Innocentium XI. defendunt, debeant aut mendacia, aut mentales restrictiones appellari. Nam restrictiones mentis ob gravissimas causas vitæ, honoris, rerum familiarum servandarum, ut mendacia, damnavit Pontifex Summus. Videant ergo quomodo censuram Pontificiam evadere queant illi qui scribunt, restrictiones mentis esse prohibitas in quotidiano usu (à ruto patto) non ob graves causas.

Nona Regula. Quoniam hæc questio pluribus circumstantiis est adjecta, non potest statui regula generalis, & præcisa, quæ omnibus casibus valeat accommodari. Nos certi conati sumus & sententiam recentiorum suo in lumine collocare, & questionis statum exponere, & regulas, quoad fieri potuit, præcise præscribere. Nihilominus adhuc multa declaranda supersunt, quæ sigillatim explicabimus dissertatione sequenti, in qua plurimos casus resolvemus ad hanc materiam attinentes.

Omnes Scripturæ textus, quos antiqui in mendaciorum favorem producebant, afferunt quoque recentiores, ut mentales propugnent restrictiones. Qui scriperunt ante Innocentium XI. eosdem omnino textus pro restrictionibus pure mentalibus allegabant, quos nunc pro restrictionibus non pure mentalibus laudant postremi Scriptores; quod satis esse debet ad demonstrandum, quæ præfatis textibus nihil neque in mendaciorum, neque in restrictionum mentalium favorem elici posse. Plurimos Scripturæ textus refert Caramuel in libro, qui scribitur *Haploides*. Eo tantum nos recenserebimus, qui negotium facessere possunt.

Obijciunt itaque I. Abraham Gen. XII. & XX. vocavit Saram sororem: *Soror mea est*: quæ tamen erat illius uxor. II. Idem Abraham cum ad montem pergeret, ut immolaret, sicut mandatum acceperat à Deo, filium suum Isaac, dixit ad pueros suos Gen. XXII. *Expectate hic cum aino: ego, & puer illic usque properaverit, postquam aboraverimus, revertetur ad vos*. III. Mentitus quoque videtur Jacob, cum se Esau simulavit, ut paternam assequeretur benedictionem Gen. XXVII. *Ego sum primogenitus tuus Esau*. IV. Mentitæ sunt obstetrices Ægyptiæ, dum Pharaoni conquerenti, quod Hebræorum mares, ut ipse jussisset, non interfecissent, responderunt: *Non sunt Hebrææ, sicut Ægyptiæ mulieres: ipsæ enim obstetricandi habent scientiam, & priusquam veniamus ad eas, pariunt. Bene ergo fecit Deus obstetricibus... & quia timebant obstetrices Deum, edificavit eis domos*. Exod. I. VI. Mentitus videtur Angelus Tobiam alloquens his verbis: *Ego sum Azarias, Ananie magni filius Tob*. V.

Antequam ad singula respondeamus, cum D. Augustino advertimus, plurima in Sacra Scriptura haberi, quæ mendacia absolute videntur, atamen, ut inquit Augustinus, mendacia non sunt, sed mysteria; aut si mendacia, imitanda minime sunt. En verba D. Augustini lib. contra mend. cap. XV. adversus Priscillianistas: « Ad te igitur pertinet scilicet detestabilem cum refellis, sic accipienda monstra ista testimonia Scripturarum, ut vel doceas non esse, quæ putantur mendacia, si eo modo intelligantur, quo intelligenda sunt; vel imitanda non esse, quæ manifestum est esse mendacia. Ad ostendendam ergo, quæ putantur in Scripturis esse mendacia, non ea esse quæ putantur, si recte intelligantur, non tibi parum adversus istos valere videatur, quod non de Apostolicis, sed de prophetis literis invenientur velut exempla mentendi. Illa enim, quæ nominatim commemorant, ubi sit unusquisque mentitus, in his libris leguntur, in quibus non solum dicta, verum etiam facta multa figurata conscripta sunt, quia figurate gesta sunt. » Hæc Augustini Doctrina satis esset ad solvendas om-

Tt

nos

nes difficultates, quæ ex Sacra Scriptura opponi solent. Nihilominus tamen in majorem veritatis confirmationem ad singula responsum dabimus.

Igitur aut primum respondet D. Augustinus *lib. cont. mend. cap. X.* his verbis: "Quiasserunt, aliquando esse mentientium, non convenienter commemorant Abraham hoc fecisse de Sara, quam sororem suam dixit. Non enim dixit, non est uxor mea; sed dixit: *Soror mea vestri.* Quod erat revera tam propinqua genere, ut soror non mendaciter diceretur. Quod & postea jam sibi ab illo, qui abduxerat, ea reddita, confirmavit, respondens illi, & dicens: *Est vero soror mea de patre, non de matre,* hoc est de paternò genere, non de maternò. Aliquid vero veritatis tacuit, non falsi aliquid dixit quando tacuit uxorem, dixit sororem. Hoc & filius ejus facit Isaac. Nam & ipsum novimus propinquam suam conjugem fuisse sortitum. Non est ergo mendacium, cum silendo absconditur verum, sed cum loquendo promittitur falsum."

Ad secundum respondet idem Augustinus, nequam Abraham mentitum fuisse, sed prophetasse: certissime namque sperabat, Deum, qui paulo ante illi dixerat, *In Isaac vocabitur tibi semen,* eundem Isaac mortuum suscitaturum, ut ipse D. Paulus declarat ad Hebr. XI. "Fide obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur, & unigenitum offerbat, qui susceperat repromissiones, ad quem dictum est: Quia in Isaac vocabitur tibi semen: arbitrans quia & à mortuis suscitare potens est Deus." Quam interpretationem declarat Augustinus *Lib. VI. de Civitat. Dei cap. XXXII.* "Non dubitavit quod sibi reddi poterat immolatus, qui dari potuit non speratus."

Ad tertium idem Augustinus respondet *Lib. cont. mend. cap. X.* "Jacob, quod matre fecit Auctore, ut patrem fallere videretur, si diligenter, & fideliter attendatur, non est mendacium, sed mysterium: quæ nisi mendacia dixerimus, omnes etiam parabolas, ac figuræ significandarum quarumcumque rerum, quæ non ad proprietatem accipiendæ sunt, sed in eis aliud ex alio intelligendum, dicuntur esse mendacia, quod absit omnino. Nam qui hoc putat, tropicis etiam tam multis locutionibus omnibus potest hanc importare calumniam; ita ut hæc ipsa, quæ appellatur metaphora, hoc est de re propria ad rem non propriam verbi alicujus usurpata translatio, possit ista ratione mendacium nuncupari. Cum enim dicimus fluctuare segetes, gemmare vites, floridam juventutem, niveam canitiem, procul dubio fluctus, gemmas, florem, nivem, quia in his rebus non invenimus, in quas hæc verba aliunde transtulimus, ab istis mendacia putantur. Si autem non est mendacium, quando ad intelligentiam veritatis aliud ex alio significantia referuntur; profecto non solum id quod fecit, aut dixit Jacob patri, ut benediceretur; sed neque illud, quod Joseph velut illudis locutus est fratribus, nec quod David simulavit infamiam, nec cetera hujusmodi, mendacia judicanda sunt, sed locutiones, actionesque propheticæ, ad ea quæ vera sunt intelligenda referendæ, quæ propterea figuratis velut amictibus obtinentur, ut sensum pie querentis exercent, & ne nuda, ac prompta vilescant. Item *lib. de Civ. Dei XVI. c. XXXII.* Quis est in ista benedictione percipiendus dolus hominis sine dolo? Quis est dolus simplicis, quæ fictio non mentientis, nisi profundum mysterium veritatis? Multi tum ex antiquis, tum ex recentibus Scripturis docent, Jacob fuisse mentitum; sed simul docent, qui catholici sunt, mendacium illud non esse imitandum.

Ad quartum respondet Augustinus *Lib. cont. mend. cap. XV.* "Sed quod scriptum est bene Deum fecisse cum Ægyptiis obstetricibus, & Raab Hierichuntina meretrice, non ideo factum est, quia mentite sunt, sed quia in homines Dei misericordes fuerunt. Non est itaque in eis remunerata fallacia, sed benevolentia, benignitas mentis, non iniquitas mentientis."

Ad quintum respondeo, Angelum Raphaelem hominis personam representasse, & humano more locutum

fuisse: neque enim Tobias, eum alloquens, Angelum, sed hominem reputabat: *Ignorans, quod Angelus Dei esset, salutavit eum. Tob. VII. vers. 6.* Consequenter Raphael Tobie seniori interroganti: *Indica mihi de qua domo, aut de qua Tribu es tu:* respondit: *Ego sum Azarias Ananias magni filius.* Quoniam, sicut personam præferbat humanam, ita quoque, & stirpem Israeliiticam, & genus paternum ex illustri prosapia magni Azariae absque mendacio referbat. Ananias autem potius, quam alterius filium se dixit, quia Ananias hebraice est, ut inquit Sanctus Pagninus, *donum, & miseratio, & glorificatio Dei.* Porro omnes Angeli sunt filii Dei. Ideo more humano loquens patrem allegavit, qui simul & Tobie innotesceret, & celestem suam originem clauderet. Quare locutio ejus fuit, ut cum Augustino loquar; *non mendacium, sed mysterium.*

Quemadmodum enim Confessarius & hominis & Dei personam gerit; sic & Angelus, qui Dei legatione fungitur sub specie hominis. Et sicut Confessarius sine mendacio quadam proferre potest ut homo, & quadam ut Dei minister; sic & Angelus in humano commercio more humano loqui potest sine mendacio. Plurimos alios Scripturæ textus, quos expendit Augustinus, misso facio. Nam si quis etiam fimitur contenderet, aliquem ex Sanctis Patriarchis mentitum fuisse; non ob id quidquam concluderet adversus nostram, & Communem Catholicorum sententiam: quoniam tunc mendacium rejiceremus tamquam imitatione indignum. Lubet transcribere verba Augustini ex *Lib. cont. mend. cap. XV. Unde constat, quod non omnia, quæ à sanctis, vel justis viris legitur facta, transferre debeamus in mores: sed etiam hinc dicere quo late pateat, & quousque perveniat quod Apostolus ait Gal. VI. Fratres, eisi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis, intendens te ipsum, ne & tu teneris. In omnibus autem actionibus nostris maxime etiam bonos turbant compensata peccata, ita ut nec peccata existimetur, si habeant tales causas, propter quas fiunt, & in quibus videatur peccare potius, si non fiunt.*

Non modo ex Veteri Testamento, sed etiam ex Evangelio aliqui obijciuntur textus in favorem restrictionum mentalium. Tres celeberrime referam. Primus habetur Joan. VIII. vers. 8. *Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendo ad diem festum istum; quia meum tempus nondum impletum est.* Hæc cum dixisset, ipse mansit in Galilea. Ut autem ascenderent Fratres ejus, tunc & ipse ascendit ad diem festum, non manifeste, sed quasi in occulto. Alium textum opponunt ex Matth. XXIV. & Marc. XIII. vers. 31. *De die autem illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in celo, neque Filius, nisi Pater.* Alium denique ex Luca cap. XXIV. vers. 28. *Et ipse se finxit longius ire.*

Antequam ad singulos textus responsum præbeam, cum D. Augustino animadverto, Christum Dominum plurima in Evangelio figurate, & sub parabolarum tegumentis locutum fuisse. Quæ vero imperitis mendacia videntur, mysteria sunt, figuratæque locutiones. Sed Augustinum audiamus, *Lib. de mend. cap. XXV.* "Elucet itaque discussis omnibus, nihil aliud illa testimonia Scripturarum monere, nisi nunquam esse omnino mentientium. Quandoquidem nec ulla exempla mendaciorum imitatione digna in minoribus factisque Sanctorum inveniantur, quod ad eas attinet Scripturas, quæ ad nullam figuratam significationem referuntur, sicut sunt res gestæ in actibus Apostolorum. Nam Domini omnia in Evangelio, quæ imperitoribus mendacia videntur, figuratæ significationes sunt."

Nonne omnes fatemur, Scripturæ textus plures excipere sensus, quorum alii clariores, alii obscuriores sunt, alii spirituales, alii literales? Hinc est, quod Deus, ut confusionem tolleret, statuit, Ecclesiam suam esse supremum judicem, nulli errori obnoxium, qui decernat, definitaque legitimum, & genuinum sensum à falso. Quia vero extra hanc unicam Ecclesiam quisque sibi jus usurpat interpretandi Scripturas, quisque etiam propriam proficitur religionem, inter quos nullus ordo, nulla unitas, nul-

lla Ecclesia, sed confusio, & maxima perturbatio. Porro si in nostris sermonibus licitum foret Sacros Scriptores imitari in usu figurarum, troporum, & allegoriarum, humanum commercium abrupteretur, omniaque confusa, & perturbata evaderent; & Respublica humana eligere supremum judicem, seu interpretem nostrarum locutionum deberet; sicuti Deus pro Scripturæ Sanctæ interpretatione designavit Ecclesiam. Verum, ut his incommo- dis occurreret, nobis in hoc Evangelio formam locutionis in responcionibus adhibendam præscripsit his verbis: *Sit sermo vester: Est, est; non, non.* His præmissis, ad singulos textus respondeo.

Primus, qui opponitur, textus nullam præfert difficultatem si integer consideretur. Nec opus est, ut ad textum græcum recurramus, in quo, loco *Non legitur Nondum ascendo,* ut observat Jansenius Gandavensis in sua *Concord. cap. 73.* & Erasmus ipse fatetur, exemplaria à se visa pro non habere *nondum.* Sed his non indigemus: quia sensus illius narracionis clarus, & obvius est. Siquidem Christus sciebat tempus passionis suæ nondum advenisse; prævidebatque fratres suos, seu consanguineos evulgaturos ejus iter in Judæam, si illud illis manifestasset, ac proinde Judæos ipsum ad mortem quæsituros. Hæc omnia ex textu prævio patent: Dixerunt autem ad eum fratres ejus; Transi hinc, & vade in Judæam, ut & Discipuli tui videant operam tuam? Quid primus respondit Christus? *Tempus nondum advenit?* vers. 7. Porro addit vers. 8. *Vos ascendite ad diem festum hunc; ego autem non* (vel secundum græcum textum, qui primæ responsionis optime coheret, *nondum*) *ascendo ad diem festum istum.* Dixit ergo Christus, *Non ascendo,* ut occultaretur, addit *istum,* ne mentiretur. Hæc interpretatio tota est Augustini sermon. 163. nov. edit. num. 7. *Hoc ergo ne illi prævenirent, & eum venturum esse nuntiarent, & præpararentur insidie.* Non ascendo, inquit, ad diem festum istum: Dixit non ascendo, ut occultaretur, addidit istum, ne mentiretur. Aliquid intulit, aliquid distulit, nihil tamen falsi dixit.

Hæc interpretatio adhuc clariores evadet, si & rationem, quam Christus allegat, & verba, quibus suum iter in Jerusalem narrat, consideraverimus. Porro hæc est ratio, cur Christus non ascendit; *Quia meum tempus, inquit, nondum advenit.* Ecce quomodo ex verbis ipsius Christi manifeste colligitur, ipsum non negasse absolute, se profecturum in Jerusalem; sed solum dixisse, ne cum suis fratribus, & publico stipatum comitatu, nolle ascendere. Bis siquidem repetit, tempus suum nondum advenisse, seu nondum impletum esse; & relate ad hanc responsionem formam intelliguntur alia verba, *non ascendo;* quia nondum venit hora mea. Nonne ex hac responsione quilibet prudens colligit; Ergo ascendet, cum ipse judicabit tempus suum advenisse? Hæc omnia non sibi alicujus restrictionis intente, sed vi verborum manifesta sunt. Atque confirmantur, si ad veritatem festum Scenopæge, de quo nunc est sermo, pluribus diebus constasse, quarum prima selemnior erat. Negavit ergo Christus ad primam vel secundam diem, ad quam ibant ejus fratres, se ascensurum; & ideo dixit: *Nondum advenit &c.* Ascendit autem postea, nempe tertia, aut quarta die, *non manifeste,* sed quasi in occulto, quæ verba, non eum sensum produunt, ut Christus in mente retinuerit illud *manifeste,* & quod illius responsio vera sit, attentata ejusmodi restrictione mentali, sicuti contendebant olim Auctores restrictionum pure mentalium, & nunc contendent Auctores restrictionum earundem, quas tamen non pure mentales oretenus aliqui vocant. Hæc falsissima interpretatio opponi ad summum posset, si eadem ipsa die ascendisset in templum Christus; aut nisi verbis externis declarasset se res ipsa non ascensurum ad festum illud, ad quod fratres sui ascendebant. Immo, inquit Augustinus, non temere dixit: *Vos ascendite ad hunc,* ego non ascendo *ad istum,* sed addit *istum,* ne mentiretur, indicans quod mentitus fuisset, si adverbium illud *manifeste* in mente retinuerit, nihil exterius addendo: & propterea addidit *istum,* ne mentiretur. Hæc omnia ite-

FERRAR. BIBLIOTHEC. TOM. IV.

rum evidenter confirmat Augustinus *tractat. 28. in Joannem: Non ad hunc,* id est ad quem vos vultis, primum, vel secundum diem. Ascendit autem postea, ut Evangelium loquitur, *mediato die festo,* id est cum jam illius diei festi *tot dies præterissent,* quod remansissent. Ipsam enim festivitatem, quantum intelligendum est, diebus pluribus celebrabant. Hæc est unica & germana interpretatio, quæ naturaliter ex sensu naturali profuit. Quoniam Christus respondit juxta mentem petentium, qui posebant ut ascenderet secum palam. "Transi hinc, & vade in Judæam, ut & discipuli tui videant opera tua quæ facis. Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipse palam esse. Si hæc facis, manifesta te ipsum mundo." In sensu ergo interrogantium respondit Christus se non ascendere; sicuti si dixissent, *Veni nobiscum,* & respondisset *Nolo.*

Ad secundum textum, qui difficilior est, multiplex est Patrum responsio: nulla tamen favet restrictionibus mentalibus. In primis D. Ambrosius *lib. V. de fide c. VII.* cum pluribus aliis dubitavit, num illa particula *neque Filius* ad textum pertinet, an ab Ariana subdole addita sit. Textus enim Evangelicus Matthæi sic habet. *De die autem illa, & hora nemo scit, neque Angeli calorum, nisi solus Pater.* Hieronymus vero in hunc locum Matthæi scribit, suo tempore in quibusdam latinis codicibus ejusdem Matthæi additam fuisse particulam *neque Filius,* quæ tamen in græcis, & maxime *Adamantii, & Pierii,* exemplaribus non habebatur. "Sed, inquit Hieronymus, quia in nonnullis legitur, desponderendum videtur. . . . Igitur qui probavimus non ignorare Filium consummationis diem, causa reddenda est, cur ignoretur dicatur. . . . Post resurrectionem interrogatus ab Apostolis de die, manifestius respondit; *Non scitis vestrum scire tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Quando dicit, *non est vestrum scire,* ostendit quod ipse sciat, sed non expedit nosse Apostolis. . . . denique & consequens Evangelii sermo ipsidum cogit intelligi. Dicens quoque Patrem solum nosse, in Patre comprehendit & Filium. Omnis enim Pater Filii nomen est." Pater Dominicus Soto in 4. sent. dist. 43. quest. 11. art. 2. de laudato textu scribens inquit: "Nihilominus nefas esset, & hæresis dubitare, ut quidam hesitant, illam apud Marcum vocem existere, propterea quod non sit apud Marthæum." Et post Concilium Tridentinum nemo Catholicorum hæc de re questionem movet. Soto loco laudato comparat Christum Confessario, sicut enim Confessarius multa scit, ut Dei minister, quæ ignorat ut homo est in humano commercio; ita & Christus, ut legatus Patris æterni, multa habebat sigillo, quæ, prout magistrum decebat Apostolorum, se nescire dicebat.

D. Augustinus pluribus in locis explicat laudatum textum. Enar. in Psalm. VI. "Ubi erit ergo, quod nec Filius hoc novit? Quod utique ideo dictum est, quia per Filium homines hoc non discunt, non quod apud se ipse non noverit, sed secundum illam locutionem: *Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat;* Deuteron. 13. id est, scire faciat vos &c. *Exurge Dominus,* id est, fac nos exurgere. Cum ergo ita dicatur nescire Filium hunc diem, non quod nesciat, sed quod nescire eos faciat, quibus hoc non expedit nescire, id est non eis hoc ostendat &c." Similia scribit Augustinus *l. 1. de Trinit. c. 12.* "Hoc enim nescit, quod nescientes facit; id est quod non ita sciebat, ut tunc discipuli judicarent; sicut dictum est ad Abraham: *Nunc cognovi, quod timeas Deum;* Gen. 22. id est nunc feci, ut cognosceres; quia & ipse sibi in illa tentatione probatus innotuit. Nam & illud utique dicturus erat discipulis tempore opportuno, de quo futuro, tamquam præterito loquens ait; *Jon. non dicam vos servos, sed nuncios. Servos enim nescit voluntatem Domini sui. Vos autem dixi amicos quia omnia quecumque audivi à Patre meo, nota feci vobis;* Joan. XV. Quod nondum fecerat; sed quia certo facturus erat, quasi jam fecisset, locutus est; ipsis enim ait; *Multa vobis habeo dicere, sed non potestis illa portare modo;* Joan. 16. Inter quæ intelligitur & de die, & hora."

Sic Secretarius regni ad occultandam veritatem, & servandum sibi impositum sigillum poterit uti amphibologia, aut æquivocatione, aut restrictione non pure mentali etiam cum juramento. Idem dicendum est de uxore adultera à marito interrogata ad necem, an commiserit adulterium; Et sic de aliis casibus in quibus datur gravis, & rationalis causa permittendi alterius deceptionem passivam, salva veracitate loquentis; dummodo juramentum addatur semper restrictioni non pure mentali, sed externæ, vel per signa externa determinata, vel per verba ex se æquivoca sufficientia ad internam restrictionem significandam; Sic communiter Doctores cum supra citatis sub num. 13.

17 Ita qui ex præsumptione falsa interrogatur à Judice, non tenetur confiteri propositionem veram, ubi ista confessio, condemnandus esset in foro externo de crimine, vel debito, ad quod revera in foro conscientie non tenetur, & iste non solum coram Deo esset immunis à mendacio, sed etiam à perjurio, si cum juramento negaverit, vide verb. Accusatus num. 31. ubi pro hac affertur ratio, & adducuntur Doctores, & ibidem sub num. 33. 34. 35. adducuntur exempla ibi videnda, ne jam dicta repetatur.

18 Item, qui juramento interrogatur, an veniat ex tali loco, qui falso existimatur peste infectus, jurare potest, se inde non venire, subintelligendo ex eo loco, qualis existimatur, nimirum peste infecto; Navarrus, Tolet. Rodriguez, Suarez, & alii cum Sanchez, & Sporer loco mox citando. Immo multi, ut Toletus, Lessius, & alii cum Sporer tom. 1. tract. 3. in 2. præcept. decalog. num. 122. tenent, quod, quamvis talis locus esset vere infectus, si tamen celeriter transiens, certo crederet, se nihil inde luis contraxisse, adhuc jurare posset non transisse, utendo eadem restrictione nimirum, ut ab ipso periculum timeri debeat.

19 Item si Clericus, vel Religiosus sit coram seculari iudice conventus, non solum ipse pro se, sed etiam alii pro ipso jurare possunt, eum nihil deliquisse utendo hac restrictione, ut coram tali incompetente iudice deponi debeat: Communis. Item si Clericus, vel Religiosus, aut alia persona exempta à gabellis solvendis interrogetur à gabellario, an habeat, seu portet aliquid gabellæ obstructum; jurare potest se nihil tale habere, seu portare, utendo hac restrictione; Nihil habeo, seu porto, ex quo gabellam solvere debeam; Ledesma, Gobat cum Sporer loc. cit. num. 121. & alii passim, vide verb. Accusatus num. 42. ubi alia ad rem.

20 Item, si Cajus v. g. sit certe, & vere creditor Titii in mille, & Sempronius sit incerte, & dubie creditor ipsius Cajii pariter in mille; Ne Sempronius intenet sequesterum, & pro se exigat mille, quæ debet Titius Cajo, ipse Cajus potest licite jurare se recepisse dicta mille à Titio, quamvis revera non receperit, sed solum habeat pro receptis, quia jus Cajii in mille contra Titium est certum, jus vero Sempronii contra Cajum non est certum, sed dubium, seu Cajus habet aliunde jus non solvendi illa mille Sempronio; Unde Cajus habet jus reddendi tutum omni meliori modo, quod potest, suum creditum contra Titium: Quilibet enim habet jus tuendi suum omni majori securitate, qua potest, maxime si alia non ei suppetat via suum securandi, & licita utatur restrictione; ut patet in exemplis allatis sub verb. Accusatus n. 33. 34. & 35. & sic expresse tenet cum aliis Tamburin. tom. 1. lib. 3. §. 5. Felix Potestas lib. 2. n. 1602. & in simili Sporer l. cit. n. 123. cum pluribus aliis; Vide verb. Solutio n. 42. 43. 44.

21 Item Mercatores, qui dicunt, vel etiam jurant se non posse pro tali pretio talem mercem vendere, licet in rigore hoc verum non sit, excusantur à mendacio, & perjurio per hoc, quod ipsi intelligant, & satis sciunt, & cognoscantur ab emptoribus significare velle, se non posse cum honesto, & mediocri lucro ita vendere. Item cum dicunt, vel etiam jurant merces sibi pluris constare, quamvis in rigore non sit verum, excusantur per hoc, quia quando dicunt sibi pluris constare, sciunt emptores, quod non intelligant nude pretium rei emptæ, sed etiam computent expensas vecturæ, & gabellæ,

aliasque, quas faciunt toto anno in suam communem negotiationem, hæc enim justè venire possunt nomine pretii, quo res ipsius constat. Gobat tom. 3. collect. de Juram. num. 672. citans Sanctagallenses, La Croix l. 3. part. 1. num. 301. Si autem locutiones mercatorum non essent veræ in allato sensu, tunc mentirentur, & si jurarent, pejerarent; Doctores citati.

Reus, an & quando tenetur, vel non fateri veritatem judici ipsam interroganti sub juramento. Vide dict. verb. Accusatus à num. 10. ad 43.

Nec valet objicere quod per tales amphibologias, seu æquivocationes, & restrictiones non pure mentales, sed externatas, humana societas, & humanum commercium perturbetur, ex quo per tales locutiones regulariter decipiantur audientes, adeoque non esse licitas. Non valet, inquam, quia per similes locutiones commercium humanum potius justificatur, quam perturbetur, nam humanum commercium non debet esse contra jus humanum; Nec officit, quod regulariter per similes locutiones decipiantur audientes, quia id per accidens sequitur, nam audiens prudens acuti, & perspicacis intellectus posset veram significationem locutionis percipere, & simul imprudentiam suæ interrogationis advertere, si signa, verba, circumstantias externas, & gravitatem rei, & jus, seu debitum alterius de secreto occultando reflecteret: quod, si audiens talis non sit, sibi imputet, quod non intelligat; signa namque, & verba in talibus circumstantiis supponuntur per se significativa, & externata conformiter ad mentis restrictionem, adeoque de se perceptibilia: Et sic loquens, seu respondens intendit celare secretum, ad quod occultandum habet jus, vel debitum, non autem audientem decipere. Nec ejus deceptionem, quam prævidet, vitare tenetur cum suo, aut aliorum gravi, & notabili præjudicio, & damno, quia tunc est deceptio accepta, non vero data, ut patet à simili de scandalo passivo per communem Doctorem, & clare constat ex celebri responsione ab omnibus, ut licita admissa, prout data fuit à S. Athanasio eludente Satellites Juliani eum ad necem querentes, & à S. P. N. Francisco, qui cum à Ministris justitiæ perquisitus, an illac transisset quidam homicida? positus intra manicas manibus, respondit, istac non transiviit, intelligens non transisse per suas manicas, & sic plenam, & veram responsonem ex verbis, & illa actione externa componens. (Vide Adnotationem præced.)

Nec valet etiam objicere, quod tales amphibologiae, seu æquivocationes, & restrictiones mentales sint prospectæ ab Innocentio XI. die 2. Martii 1679. in istis tribus damnatis propositionibus 26. 27. 28. in ordine. Propositio 26. Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio sine jure se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus. Propositio 27. Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censetur tunc expediens, & studiosiora. Propositio 28. Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

Non valet, inquam, quia in istis tribus propositionibus damnantur solum amphibologiae, æquivocationes, & restrictiones pure mentales, ut pro certo notat Cardenas dissertat. to. cap. 4. num. 15. Sporer tom. 1. tract. 3. in 2. præcept. decalog. cap. 1. sect. 2. num. 104. Viva ad propositionem 27. Innocentii XI. num. 3. La Croix lib. 3. p. 1. num. 287. cum seq. Reiffenstuel theol. moral. tract. 6. dist. 2. quest. 3. num. 40. Felix Potestas tom. 1. p. 2. numer. 1731. & seq. Et alii passim. Et tales amphibologias, seu æquivocationes, & restrictiones pure mentales esse omnino illicitas fatemur, & concedimus ultro, & nos, quia in-

26 includunt mendacium, quod est ab intrinseco malum, adeoque eas merito damnavit Pontifex insupra relatis propositionibus. Doctrinam, quæ à Ferrario hic traditur à num. 14. ad num. 26. ex Amphibologiarum putidis cisternis haustam jam emendavimus verb. Accusatus à num. 18. ad num. 25. atque in nota apposita num. 28. & in fine ejusdem articuli. Cum autem denuo Auctor in hoc Articulo eandem doctrinam obrudere conatur, Christianum Lectorem iterum iterumque monemus, ne sub probabilis larva, ac ineptarum distinctionum præsidio eidem adhareat; sed semper præ oculis habeat Apostoli verba Ad Epheios, cap. IV. V. 25. Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo. Neque obliviscatur Oratoris Regis David. Psal. 119. Domine libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa.

27 Jurare sine animo jurandi semper est illicitum, sive quis juret verum, sive falsum, sive in re gravi, sive in re levi, sive cum causa, sive non, sive in Judicio, sive extra. Et ratio est, quia jurare sine animo jurandi semper continet mendacium irreligiosum, quod à nulla causa, sive levi, sive gravi cononestari potest; quamvis enim Juramentum factum addatur assertioni vere, falso tamen assertit se jurare, qui non habet animum jurandi; qui enim dicit v. g. promitto, dono, & hujusmodi, carens animo promittendi, donandi, & hujusmodi, mentitur, mendacium autem nunquam est licitum, quantumcumque detur causa, cum sit intrinsece malum. Unde Innocentius XI. die 2. Martii 1679. merito damnavit sequentem propositionem 25. in ordine ibi Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.

28 An autem jurare sine animo jurandi sit peccatum mortale, vel veniale solum, variant Doctores. Cajetanus enim 2. 2. quest. 89. art. 7. Felix Potestas tom. 1. part. 2. num. 1611. Hurtad. diss. 12. cap. 5. Armilla, Covarrub. Filguera, & alii tenent, quod qui jurat sine animo jurandi peccat mortaliter, quamvis verum juret, etiamsi materia sit levis, & sit extra legitimum Judicium; quam sententiam Suarez cap. 17. num. 6. censet probabilem, quamvis nimis rigorosam. Et ratio istorum est, quia sic Jurans mentiens & proximum decipiens jurat, nam verbis externis dicit se jurare, & interius habet animum oppositum; & revera non jurat. Tùm quia sic jurans illud testimonio Dei, cum fingat se illud invocare, & tamen non invocat. Communis tamen, licet non probabilis Suarez loco citato, Sanchez lib. 3. cap. 6. Lessius d. 8. num. 46. Castropal. part. 8. num. 4. Illung. tom. 5. num. 55. Dicastill. d. 2. num. 278. Cardenas in 2. Crisi d. 18. num. 12. Viva ad propositionem 25. Innocent. XI. num. 7. La Croix lib. 6. part. 1. num. 277. Sporer loc. citato num. 133. & alii dicunt, quod sic Jurans peccat solum venialiter, dummodo non juret in contractu, aut in Judicio legitimo, aut in casu, quo proximus pati possit aliquod grave damnum. Et ratio est, quia sic jurare, nec est graviter injuriosum Deo, nec homini. Non Deo, quia invocatur exterius ad confirmandum dumtaxat verum, & quamvis sit aliqua irreverentia illum invocare sine animo invocandi, atque adeo in vanum, ea tamen non est irreverentia gravis, sicuti non est irreverentia gravis jurare verum sine necessitate, hoc est sine Judicio comite, ut diximus supra num. 11. Neque est graviter injuriosum homini; quia supponitur hoc fieri extra contractum, & extra Judicium legitimum, ac extra quemcumque casum, in quo homo damnum aliquod grave patitur ex hoc facto juramento. Tum quia Juramentum nec cadit super mendacium, nec super deceptionem proximi, sed tantum super rem veram; Deus enim recipit Juramentum prout ex corde procedit; cap. Humanæ aures 11. caus. 22. quest. 5.

29 Non probabilis Suarez loco citato, Sanchez lib. 3. cap. 6. Lessius d. 8. num. 46. Castropal. part. 8. num. 4. Illung. tom. 5. num. 55. Dicastill. d. 2. num. 278. Cardenas in 2. Crisi d. 18. num. 12. Viva ad propositionem 25. Innocent. XI. num. 7. La Croix lib. 6. part. 1. num. 277. Sporer loc. citato num. 133. & alii dicunt, quod sic Jurans peccat solum venialiter, dummodo non juret in contractu, aut in Judicio legitimo, aut in casu, quo proximus pati possit aliquod grave damnum. Et ratio est, quia sic jurare, nec est graviter injuriosum Deo, nec homini. Non Deo, quia invocatur exterius ad confirmandum dumtaxat verum, & quamvis sit aliqua irreverentia illum invocare sine animo invocandi, atque adeo in vanum, ea tamen non est irreverentia gravis, sicuti non est irreverentia gravis jurare verum sine necessitate, hoc est sine Judicio comite, ut diximus supra num. 11. Neque est graviter injuriosum homini; quia supponitur hoc fieri extra contractum, & extra Judicium legitimum, ac extra quemcumque casum, in quo homo damnum aliquod grave patitur ex hoc facto juramento. Tum quia Juramentum nec cadit super mendacium, nec super deceptionem proximi, sed tantum super rem veram; Deus enim recipit Juramentum prout ex corde procedit; cap. Humanæ aures 11. caus. 22. quest. 5.

30 Unde ad primam rationem primæ sententiæ respondent Defensores secundæ, quod non est peccatum mortale quamvis aliquis mentiens, & decipiens juret, dummodo Juramento non confirmet mendacium, vel deceptionem, quod hic non facit. Ad secundam rationem respondent, quod sic Jurans non dicitur graviter il-

ludere Deo, quia sicuti non dicitur graviter illudere Deo, qui fingit se orare cum animo tunc non orandi, unde non peccat nisi venialiter in hac simulatione, ut docet Sanctus Thomas 2. 2. quest. 3. art. 4. ita nec dicitur graviter illudere Deo Jurans verum sine animo jurandi, nec peccat secundum se, nisi venialiter, nolens interius Deum in testem advocare, quando aliunde ad id tenetur. Non ita facile Ferrario assentietur, qui animadvertat gravem, quæ Deo injuria fit, dum sanctum ac ineffabile ipsius nomen adhibeatur ad hominem decipiendum. Nam qui verbis jurat, animo vero se jurare nolle contendit, decipit eos, apud quos juramento res comprobatur, ac Dei nomen nonnisi decipiendi animo usurpat, cum per hujusmodi nomen mentiatur, atque decipiat. Quis vero dicat, gravem Deo injuriam non fieri? Audiatur F. Aurelius Riello de Reg. quest. 4. Dei nomen, inquit, adsumere in vanum est intrinsece malum; sed jurare sine animo jurandi, est Dei nomen, & testimonium adsumere in vanum, cum non sit adsumere illud ad finem, propter quem adsumendum est, & quidem hoc probat tale juramentum esse mortifere malum: magna enim in Deum irreverentia est, quod illius nomine abutatur homo ad decipiendum alios. Accedit etiam, quod talis jurandi modus evertat finem principale juramenti, omnemque ejus fructum evacuet. Siquidem finis juramenti est firmare veritatem, & sinceritatem, atque afferre securitatem, quibus deficientibus, perit omnis juramenti effectus. Atque hinc patet, majorem in hoc casu Deo injuriam irrogari, quam dum quis simul ore, sine animo orandi. Nam præter simulationem in vanum sumitur, & ad alios decipiendos Dei nomen adhibetur.

Jurare sine animo jurandi in Judicio legitimo, & in contractibus, ac casibus, quibus proximus patitur aliquod grave damnum ex tali facto Juramento, est peccatum mortale: Communis. Et ratio est, quia ultra quamquod Jurans in contractibus, & dictis casibus gravem injuriam, & damnum affert proximo, & assumit mendaciter nomen Dei ad decipiendum proximum cum gravi injuria, & damno ipsis, & Reipublice; in Judicio legitimo tenetur sub gravi ad vere, & non fictè jurandum; quilibet enim in Judicio legitimo respondere tenetur secundum mentem Judicis legitime interrogantis: Judex autem petit verum, & non fictum Juramentum, cum hoc valde intersit communi bono Reipublice, adeoque &c.

Jurare falsum sine animo jurandi est peccatum mortale, nedum in materia gravi, ut sine controversia tenent omnes, sed etiam in materia levi, quia sicut in idololatria, & in blasphemia, aut in infidelitate non datur paritas materiæ, quæ à mortali excuset, etiamsi desit animus internus litandi idolo, blasphemandi, aut non credendi, ita nec in perjurio, etiamsi desit animus internus jurandi. Unde Verricelli p. 1. quest. moral. tract. 1. q. 12. sic expresse concludit: Non audeo asserere probabilem, neque tutam in conscientia eam sententiam, que affirmaret non esse peccatum mortale in materia levi, ut in mendacio jocoso, aut officioso jurare exterius sine animo interno jurandi. Et sic tenent Viva loc. cit. num. 6. & alii de hac difficultate tractantes; arg. Proposit. 24. in ordine ex damnatis ab Innocent. XI. die 2. Martii 1679. ibi: Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam vellet, aut possit damnare hominem.

Jurare cum animo jurandi, & promittendi, seu se obligandi, non tamen implendi, est semper peccatum mortale, quia sic Jurans vocat Deum in testem voluntatis implendæ, quam tamen scit se non habere; unde cum adducere Deum in testimonium falsitatis sit semper gravissima irreverentia contra ipsum etiam in materia levi, ut patet ex mox adducta propositione damnata, sequitur aperte, quod jurare cum animo jurandi, & promittendi, seu se obligandi, non tamen implendi, sit semper peccatum mortale etiam in materia levi. Sic Communis Doctorem teste Sporer tom. 1. tract. 3. in 2. præcept. decalog. cap. 1. sect. 4. num. 135.

31 Consuetudo culpabiliter retenta jurandi sine causa at-